

sensuum præjudiciis tribuimus, quam rationi & auctoritati divinæ. Si omnia velimus metiri sensibus, *quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum?* Hinc ait Deum probare voluisse hominis fidem, quod nempe, quantum sensus suadent, habeat interitum cum belluis, certus tamen esse debeat ex puræ rationis lumine & ex divina auctoritate se esse immortalem quoad mentem, seu spiritum, qui ad Deum reversurus est.

Inst. 3. Ex 1 ad Tim. cap. 6, v. 16. *Deus solus habet immortalitatem.* Ergo &c. . . . Resp. Dist. ant. a se ipso & necessariam immortalitatem; Con. Ant. ab alio, Neg. Ant. & Cons. Equidem solus Deus est immortalis immortalitate necessaria & nullo indigente conservatore. Mens autem humana indiget conservari a Deo ut æternum existat. Pariter quod dicitur in VI Synodo œcumenica, animam *non natura sed gratia Dei esse immortalem*, eo sensu intelligendum est, quod anima immortalitatem habeat, Deo volente & conservante, quæ conservatio est *indebita naturæ*, sed est ex sola gratia.

C A P U T I I.

*De mente humana in ordine ad
Corpus.*

DE mente humana sic spectata tria considerari possunt: 1, quomodo corpori conjungatur, & quænam sint hac de re Philosophorum hypotheses. 2, Quænam sint